



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Modestus Episc. 18. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

*melioris. Bona mors, si peccato moriaris, ut justitie vi-
vas. Hac mors necesse est ut præcurrat, ut sequatur illa
secura. Dum vivis in carne, morere mundo, ut post
mortem carnis Deo vivere incipias. S.Bern.ep.105.*

S. MODESTUS EPISC. 18. Decembris.

NObiliores nemo MODESTO habuit cunas.
Rogas quales? carceres fuere, in quos ad
captivum patrem vix natum mater asportavit,
docuitque à teneris Martyrē esse. Quinto à partu
mense inter preces uterque parens inibi animam
Deo reddidit, opulentam filio hereditatem vin-
cula post se relinquens. At hanc invidens Maxi-
mianus Imp. educendum viro Senatorii ordinis
tradidit. Sperabat hic patris nomen; sed cum pri-
mū MODESTVS per ætatem intelligere cunabu-
la sua potuit, doluit scilicet vel insciūm se à pa-
rentum vestigiis deflexisse: & degenerem tam
diu se putavit, quo usque fugā Athenas delatus
Christianis se junxit. Hic dum sacro lustratur
fonte, radiantem ignibus columnam in caput
pueri descendere Episcopus vidit. Cum deinde è
cive genium malum, è sorore verò heri sui mor-
bum depulisset, heredem hic MODESTVM cum
ceteris liberis suis scripsit. At isti, quò potius ac-
cederet aliquid ad hereditatem, quam decederet,
Ægyptio homini & à sacrī nostrī alieno ado-
lescentem vendiderunt. Septem annos cum ser-
visset, è servitute Deorum tandem etiam domi-
num eripuit, & libertus Solymas abiit. Ibi de-
mum ad Patriarchatus dignitatem evectus, cum
veneno infectum fontem purgasset, fontisque in-
colam serpentem neci, cacodæmonem sub cane
latrantem fugæ dedisset, hospitioque, qui in ser-
vitutem

19. Dec. VITÆ SANCTORVM. 615
vitutem illum dederant, coheredes illos suos
peramanter excepisset, dignam natalibus suis
mortem obiit. Sed amisit Ecclesia, vel cælo teste,
tunc columnam suam. Imò non amisit; transtulit
eò, ubi ipsa sese ædificat. Ex Menœis.

*An non meritò coronabitur, qui sic certaverit, mun-
dum abjiciens promittentem, irridens inimicum tentan-
tem, & quod gloriōsus est, de seipso triumphans, & cru-
cifigens concupiscentiam prurientem?* S.Bern. serm. i.
de Omn. SS.

S. MEGENG AUDIUS C. 19. Decembris.

Illa demum vera nobilitas est, non pauciores
virtutes, quam ceras quæ potest numerare.
Potuit MEGENGOR Geldriæ Comes, idemque
fortissimus militum dux, & hoc nomine Impera-
tori Ottoni III. cum primis charus. E conjugé
Gerbirge Zutphaniensi item Comite cum filias
iv. filium sustulisset unicum, hunc ipsum in primo
ætatis flore, bello Bohemico amisit. Quid expe-
ctas? scilicet lacrimas vel armato Marti expri-
mendas, & dignos patre gemitus? viduos matris
capillos, & lacerum planctu pectus? omnia alia
audies. In funere filii mortuique vultu suum
agnovere parentes, hoc est mortalem. Utique
mortem lecturam maturos ætate fructus suos,
quæ immaturos carperet: satis oppidò jam vixisse
parentes, qui vixisse filium aspicerent. Conyasa-
rit igitur MEGENGOR & in tuto locare impedimen-
ta, opes, hoc est, in cœnobio, cui Adelhaidem fi-
liam præfecit, deponere; ipse quoque animo à
mundo abesse, cum non posset corpore; castita-
tem deinceps cum conjugé colere; lectio sacra-
rum literarum se dedere; denique in oculis nihil

præter